

PIA JUBILA  
IN SOLEMNIBUS  
FESTI JUBILÆI SECUNDI  
CLEMENTISSIMA

# FRIDERICI AUGUSTI

REGIS POLONIARUM POTENTISSIMI

NEC NON  
ELECTORIS SAXONIÆ SERENISSIMI  
INDULGENTIA

PROPTER DOCTRINÆ EUANGELICÆ  
CONFESSIONEM

INTER COMITIA AUGUSTÆ VINDELICORUM  
DUO ABHINC SECLA HABITA

# CAROLO V

ROMANORUM IMPERATORI INVICTISSIMO

ORDINIBUS ILLUSTRISSIMORUM PRINCIPUM PROCERUMQVE PRÆSENTIBUS  
TRADITAM

AC

ULTRA DUCENTOS ANNOS DIVINITUS  
CONSERVATAM

A. R. S. CIV. MDCCXXX, D. 25. JUNII ET SEQUENTIBUS  
UNIVERSIS SAXONICÆ DITIONIS PROVINCIIS  
SANCTE PERAGENDIS

GRATÆ MENTIS TESTIFICANDÆ CAUSA

CUM ANNEXA SUPPLICI

PRO ULTERIORI RELIGIONIS PURIORIS CONCESSIONE

ET

FLORENTISSIMA CIVITATIS PIRNENSIS PROSPERITATE  
DEPRECATIONE

AD PANEGYRIN SCHOLASTICAM OB GAUDIA DUCENARIA  
INSTITUTAM CONDECORANDAM  
DEQUANTATA

A

M. JOHANNE CHRISTIANO GRÜTZIO

SCH. PIRN. CONRECTORE.

PIRNÆ, Literis JOH. JAC. GRÜTZII.

Kapitel 78 M 311 [86]

X 3047856 1.193 AK



Hocce  
Memoriae Secularis Carmen,

gracili avena modulatum,  
Nominibus summopere sibi Colendis,  
Rerum divinarum æque ac humanarum  
Scientia, Prudentiaque *Præstantissimis,*

nec non  
Dignitatibus tam Ecclesiastica, quam Politicis  
in Urbe Pirna maxime *Conspicuis,*

*Magnifico, summeque Reverendo*

**DN. CHRISTIANO CAROLO  
STEMPELIO,**

SS. Theologiæ Doctori ac Pirnensis Dioceseos  
Ephoro longe Meritissimo,  
*Consulibus Gravissimis,*

**DN. GOTTOFREDO SCHREGERO,**

**DN. SAMUELI GOTTOSCHALCO,**

*Syndico Consulitissimo,*

**DN. NATHANAELI BARTHIO,**

Juris Utriusque Doctori Celeberrimo,  
Reliquisque Senatorio Ordini Adscriptis,

**DN. JOHANNI CHRISTIANO HEERDEGIO,**

à Reditibus Regii ac Electoralis ærarii, ut & hujus loci Ecclesiastici,

**DN. JACOBO HEINRICO,**

Fisci Publici Curatori Fidelissimo,

**DN. JOH. CHRISTOPHORO TANNEBERGIO,**

Accis. Reg. Co-Inspectori & Xenodochei Administratori Clarissimo,

**DN. CASPARI GOTTOFREDO KLEDITZIO,**

Camerae Publicæ Adjuncto Spectatissimo,

**DN. JOHANNI CHRISTIANO GAUDICHIO,**

Utriusque Juris Peritissimo,

**DN. CHRISTIANO GOTTOFREDO WILISCHIO,**

J. U. Doctori Dignissimo,

Viris Prætoria Auctoritate Splendidissimis,

*Quorum Benevolentissimo nutu in lucem prodit,*

Mente exporrecta VenerabVnDV's saCrat aVtor,



Alve festa dies, toto memorabilis  
ævo,  
Donec sol statuet temporis arti-  
culos!

Salve festa dies, cunctis venerabilis  
oris,

Qveis resonant summi dogmata sacra Dei!  
Salve festa dies, animæ lætabilis omni,

Cui puræ est cordi relligionis honos!  
Læta renascuntur sacratæ tempora turbæ,

Dum memoranda dies post duo secla redit,  
Qva pulsus tenebris fidei doctrina refulsit,

Qvæ pavidas mentes sola beare potest.  
Postulat hæcce dies, renovatæ lucis origo,

Qvæ patulam nobis monstrat ad astra viam,  
Vocibus intensis, imo de pectore ductis,

Ædibus in nostris Jubila sancta cani.  
Olim qvæ rerum miseranda figura sacrarum?

Divini cultus qvæ fuerit facies?  
Temporis ejusdem qvotqvot monumenta recensent,  
Commentatorum pagina fida docet.

Sub spissâ qvoties Phœbus se nube recondit,  
Omnia nigrescunt, eripiturque dies:

Informes cernuntur conduplicariet umbræ,  
In nos caligo, noctis imago, cadit,  
Sub-

Subtrahiturque calor, rigido suffusa repente  
 Vivis corporibus frigore membra tremunt,  
 Tali permultis seclis Ecclesia Christi,  
 Diro pressa jugo, conditione fuit.  
 Vivificus Verbi, quod veris solis ad instar  
 Christicolis, splendor pene sepultus erat.  
 Omnia tunc fuerant cæcis offusa tenebris,  
 Mentibus ac paucis cognita iusta via,  
 Qva gradiendum, qva Numen ratione colendum,  
 Totius mundi sceptrata tremenda tenens.  
 Vaniloqvo nugas divendens ore sacerdos,  
 Falsa lactabat spe miserum populum.  
 Non solo Christi merito delicta piari,  
 Clamabat raso vertice tonsa cohors.  
 Sed commentitis meritis accepta ferebat,  
 Unius Christi sanguine parta bona.  
 Interea Servatoris vox blanda filebat,  
 Qvalis mellifluis fluxit ab ore suo.  
 Hinc denudatas certo solamine mentes,  
 Reddiderat tremulas sollicitudo gravis.  
 Hæc peccatorum prægrandi pondere onusta,  
 Despondens animum, nescia consilii,  
 Mœstitiæ nimix quærebatur anhela medelam;  
 Ast spes in meritis nulla salutis erat.  
 Altera tartarcis divexabatur ab umbris,  
 Qvam angebat ficto vanus ab igne metus.  
 Hoc tamen exanimem quibat nec Missa levare,  
 Nuncia nec veniæ littera Pontificis.  
 Hinc vivis, mortique propinquis mœsta quærela,  
 Anxia quævis veræ cura salutis erat.  
 Hicce status fuerat, donec suspiria gentis  
 Afflictæ vindex audierat Dominus:  
 Ac flendam miseri populi sortem miseratus  
 Dixerat: assurgam, subsidiumque feram.  
 Sicuti, cum densas auras sol disjicit; atra  
 Nubila diffugiunt, clara reditque dies,  
 Montibus a celsis umbræ, sylvisque recedunt.  
 Omnia lux recreat, solis amica comes,  
 Redditur extemplo cunctis animantibus alma,  
 Mirifico motu, vita, vigorque suos;  
 Sic ubi propitium Numen decreverat album,  
 Errorum pulsa nube, referre diem,

At-

Atque piis votis optatum reddere lumen  
 Dogmatis aetherei; stulta superstitio,  
 Cunctorum mentes squallentis nubis ad instar  
 Obvolvens, sensa in deteriora trahens;  
 Sanctaque simplicitas, qua Clerum caeca colebat  
 Plebs, sicut fallax umbra, repente fugit:  
 Ac oritur subito divina gloria lucis,  
 Atque Deo placitae Phosphorus Eusebicus.  
 Latifico verbi splendore tripudiat omnis  
 Gens, quae Cimmeriis federat in tenebris.  
 Hoc opus haud hominum est, sed inenarrabile munus  
 Solius aeterni, qui regit astra Dei.  
 Hic sibi Lutherum delegit, ut esset Elijah  
 Alter cum zelo, tum gravitate precum.  
 Nam donis divinis ac majore refertus  
 Numinis afflatu grandia facta patrat.  
 Impia vesani taxans deliria Cleri  
 Salvifici verbi semina sana ferit.  
 Eloquio ac calamo depugnans Marte stupendo  
 Papalis regni ferrea sceptrata quatit.  
 Hinc furis in eum Synodus Papalis ab omni  
 Concita parte, studet, qui prohiberet opus.  
 Principis Aufonii curas intenderat omnes  
 Curia, conatum ut redderet invalidum,  
 Inclemens Clemens enses spirabat & ignes,  
 Dogmata Lutheri non toleranda putans.  
 Ast Pater in caelis, rerum cui summa potestas,  
 A semet coeptum strenuus urget opus.  
 Sicut enim mirabiliter mortalia corda  
 Omnipotente sua fertque movetque manu:  
 Sic Procerum flexit multorum pectora, sanctae  
 Ut ferrent causae forte patrocinium,  
 Cunctorum instar erat Johannes, Inclytus Heros  
 Antiquae fidei, Saxonicaeque Decus.  
 Qui, quanquam saevam metuebat Caesaris iram,  
 Non subterfugiens damna, pericla, minas,  
 Ingenti contendebat praestare labore,  
 Purior ut fieret cultus ubique Dei.  
 Magnanimi spes constabat tentaminis ipsi  
 Omnis propenso Numinis auxilio.

Quod credebat facturum, ut bona causa triumphet,  
Pravorumque sient irrita consilia.

Ac hæc nequaquam fuerat fiducia vana,  
Utpote tam solido robore structa super,  
Namque Evangelicis statibus clementior aura  
Manfeto spirat Cæsaris ex animo.

Dum conscribendos mandato curat in urbem  
Augustam illustres imperii Proceres,

In quo Confessu Augusto, mirabile dictu,  
Auxiliatrici dia pronœa manu,

Recreat innumeris curarum fluctibus actos  
Causæ tutores, Nam subito facie

Rerum mutata ex voto Confessio prodit  
Doctrinæ Augustæ: quæ bonitate Dei

Hosibus invitis jamjam duo secla perennans  
In nostris oris intemerata viget.

Hocce Dei munus nobis memorabile dictat,  
Hac exoptata cantica lata die.

Quæ genti gratis animis *μεγαλέα* supremi  
Christo sacratæ sunt recolenda Dei.

Quæ bona, quæque Pater charus flagrantis amoris  
Ediderit nobis signa benigna sui.

Dum nos, immani duraque tyrannide pressos,  
Adserit è vinculis Pontificumque jugo:

Mentesque errorum tenebrosa nube fugata,  
Verbi cœlestis perpete luce beat.

Hæc animis recte pensantes, ô populares,  
In Domini laudem promite svave melos.

Omnes Saxonici solemnia solvite vota,  
Qui passim colitis septa beata soli.

Eja Sacerdotes! fument pia thura per aras,  
Ac labium fructus sacrificate Deo.

Vos Proceres, quibus est populos commissa potestas  
Rite gubernandi, reddite dona Deo.

Vos Cives mecum festivo gaudia plausu  
Pectoris ex imo concelebrate nova.

Gloria sit Patri, cujus moderamine fausto  
Successit cursu religionis opus.

Gloria sit Gnato, vigilantanti pro grege sacro,  
Ejus qui sancte sceptrâ verenda colit.

Gloria

Gloria fit summo, verbi qvi coeca serenat  
 Pectora divini lumine, Spiritui.  
 Tendimus, alme Parens, geminas ad sidera palmas;  
 Nos sumus en Gnati pignora chara tui!  
 Auribus averfis ne despice vota rogantum,  
 Nemini in cassum qvi finis ire preces.  
 Constituit nobis victrix tua dextera regnum,  
 Hoc valido posthac robore conde tuo.  
 Lucida convexum coelum dum sidera pascet,  
 Stent ejus, facito, gloria, jura, decus.  
 Non hoc humanis opibus, non arte magistra,  
 Sed divi digiti fabrica sola tui est.  
 Possidet haud patrias sedes Ecclesia sancta,  
 Exulat in terris & peregrina manet:  
 Hinc Nutritores ferves ac hospita tecta,  
 Qveis in pertractet debita sacra Deo.  
 AUGUSTUM imprimis confirmes, Optime Jova,  
 Magnas Saxonici Delicias populi.  
 Speratos addas successus rebus agendis,  
 Ac juvenis vires, Nestoreosqve dies.  
 In patriam affectum ferventis amoris adauge,  
 Qvi studeat Christi porro fovere gregem.  
 Regia sit Soboles per plurima lustra beata,  
 Stemmata praestanti digna Propago suo.  
 Saxoniae saevus longe discedat ab oris  
 Hostis, foecundos qvi populetur agros.  
 Hic sibi perpetuam figat Concordia sedem,  
 Ut sacro possit nidulus esse gregi.  
 Hic Tibi conserves coetum Christoqve sacratum,  
 Quo sancta colitur cum pietate fides.  
 Sint procul impostores, qvi cacodoxa ferentes,  
 Pelle sub agnina corda lupina gerunt.  
 Sit semper cathedris in nostris praeco fidelis  
 Praesto, qvi dicat verba salutifera:

Qvi

Qvi fit virtutis speculum : pietatis amator,  
 Non nisi cœlestis dogmatis usqve tenax.  
 Sint auditores verbi fideiqve seqvaces,  
 Nos Augustanum qvam Paradigma docet.  
 Qvique suum Clerum merito venerentur honore,  
 Ipfis tradentem iussa verenda Dei.  
 Ne indignare, Deus clemens, mea pergere vota,  
 Nec longas durâ rejice mente preces.  
 Est urbs chara mihi : quæ? dilectissima Pirna,  
 Supplice cui quævis prospera voce precor.  
 Experta est tragicos casus, incommoda fata,  
 Præterito seculo, vix referenda mihi :  
 Vim ravidam flammæ, rigidi certamina Martis,  
 Pestis perniciem, lethiferamqve famem,  
 Exhilara hanc sortis melioris fronte serena,  
 Damnaqve de vallis Arcis & Urbis age.  
 Moenibus in nostris ne debacchetur Erinny's  
 Discors, atra fames, aut furibunda lues.  
 Floreat in templis cœlesti consona verbo  
 Doctrina, Augustæ quæ reparata fuit.  
 Imbue, cordipotens, Doctores Flamine Sacro,  
 Quo fiat Christo cultus in urbe placens.  
 Floreat, & celebri decoretur Pirna Senatu,  
 Qui sit consilio præsidioqve potens.  
 Floreat, & Patronorum suffulta favore  
 Crescat, discipulis evacuata schola.  
 Floreat, atqve salute suâvi Civica Turba  
 Utatur, pacem justitiamqve colens.  
 Omnes quo lætos animis concordibus annos  
 Vivant, quos arte copulat una fides.

•••••



PIA JUBILA  
IN SOLEMNIBUS  
FESTI JUBILÆI SECUNDI  
CLEMENTISSIMA

# FRIDERICI AUGUSTI

REGIS POLONIARUM POTENTISSIMI

NEC NON  
ELECTORIS SAXONIÆ SERENISSIMI  
INDULGENTIÆ

PROPTER DOCTRINÆ EUANGELICÆ  
CONFESSIONEM  
INTER COMITIA AUGUSTÆ VINDELICORUM  
DUO ABHINC SECLA HABITA

# CAROLO V

ROMANORUM IMPERATORI INVICTISSIMO  
ORDINIBUS ILLUSTRISSIMORUM PRINCIPUM PROCERUMQVE PRÆSENTIBUS  
AC

ULTRA DUCENTOS ANNOS DIVINITUS  
CONSERVATAM

A. R. S. CIO DCCC XXX, D. 25. JUNII ET SEQVENTIBUS  
UNIVERSIS SAXONICÆ DITIONIS PROVINCIIS  
SANCTE PERAGENDIS

GRATÆ MENTIS TESTIFICANDÆ CAUSA  
CUM ANNEXA SUPPLICI

PRO ULTERIORI RELIGIONIS PURIORIS CONCESSIONE  
ET  
FLORENTISSIMA CIVITATIS PIRNENSIS PROSPERITATE  
DEPRECAZIONE

AD PANEGYRIN SCHOLASTICAM OB GAUDIA DUCENARIA  
INSTITUTAM CONDECORANDAM  
DECANTATA

A  
M. JOHANNE CHRISTIANO GRÜTZIO

SCH. PIRN. CONRECTORE.

PIRNÆ, Literis Joh. Jac. Grützi.

Kapitel 78 M 311 [86]

X 3047856

